



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-541616-p0002-3

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-541616-p0003-8

DFG



1681.

1. Fridericus, Valentius : De moderatione summi Tuum.
2. Tries, Martinus Fridericus : Pro. ad provocationem
Programma, quo actionem sollemnem Benedicti Gangalandhi
indict.
3. Mylius, Anders : De statis mercatorum
4. Mylius, Anders : De renuntiationibus
5. Mylius, Anders : De liquidatione

1682.

1. Berger, Christian Giuppi : De Quarta Tribulatione.
2. Bergerus, Iohannes Henricus : De distrahendi proueris
jure.
3. Bergerus, Ioh. Henricus : Yecas singularium quaestio-
num.
4. Bornius, Tacitus : De actione, quae creditori
adversus debitorem debitoris competit.
5. Eicholdus, Henricus Paulus : De aestimatoria injuriarum
actione, res persecutoria
6. Muecke, Luderus : De pecunia hereditaria




- 16
17^a
17^b
- 1682.
7. Mylius, Anders: De constituto obligatorio
8. Mylius, Anders: De jure carnificium.
9. Mylius, Anders: De actione quasi serviana.
10. Mylius, Anders: De ratione perarum bestiarum.
11. Mylius, Anders: De actione ad palinodiam.
12. Mylius, Anders: De seditione
13. Mylius, Johannes Henricus: De auctoritate
 iusque effectu generali.
14a^c b Philippus, Fredericus: De recognitione documentorum
Forum 2 Sept. 1682 - 1720
15. Schleusingius, Johann: De multa privile
 appellantibus in casum successioneis impoena
16. Tellerus, Romanus: De deteriori feminarum
 conditione in matrimonio contractando Res. 1707



1682

1791 Thomasius, Georg Richard : De philosophia
juriis ostensi in doctrina de obligacionibus et actione
nibus cum appendice vindicarum pro domino con-
tra servitatem 1 Sept. 1682 - 1737.





XVIII.

C. B. D.

EXERCITATIO. ACADEMICA.

DE.

ACTIONE.

QVÆ. CREDITORI. AD-
VERSUS. DEBITOREM.
DEBITORIS. COMPETIT.

QVAM.

PERMISSU. SUPERIORUM.

SUB. PRÆSIDIO.

DN. JACOBI. BORNII. JC^TI.

FACULT. JURID. ORDINARII.

SOLENNITER. DEFENDET.

AD. D. XIX. JAN. A. O. R. M. DC. LXXXII.

CHRISTOPHORUS. HENRICUS. Bogler.
DRESD. AUTOR.



LIPSIAE,

LITERIS. CHRISTIANI. SCHOLVINI.

**INCLYTÆ REIPUBLICÆ PA-
TRIÆ PATRIBUS**

VIRIS

**NOBILISSIMIS, CONSULTISSIMO, AM-
PLISSIONIS, PRUDENTISSIMIS AC
SPECTATISSIMIS**

DOMINIS, DOMINIS

CONSULIBUS,

SYNDICO, &

SENATORIBUS RELIQVIS,

Patronis atq; Fautoribus suis,

EXERCITIUM hoc JURIDICUM

Offert

AUTOR

**CHRISTOPHORUS HENRICUS Bogler/
Dresdensis.**

C. B. D.

EXERCITATIO ACADEMICA.

D.
ACTIONE, QVÆ CREDI-
TORI ADVERSUS DEBITORIS
DEBITOREM COMPE-
TIT.

I.

Ontra Debitoris Debitorum Creditori re-
media juris non una concessa sunt, quæ singula ta-
men, & quid circa unumquodque jure constitutum
est, ususque Fori servat, condigne hac vice exeqvi,
instituti ratio non sinit, cum scriptio præsens exerci-
tio Academicus habendo, non immensis Tractatibus compilandis
sit suscepta. Sufficiat mihi adeo, solam istam actionem, quam
Creditori contra debitorem debitoris movere integrum est, lu-
strare ac paulo plenius excutere.

II.

Et dari quidem aliquam hujusmodi actionem, ex jure
satis constat. Præterquam enim, quod rubrica Codicis, Tit. 15.
lib. 4. quando *Fiscus vel privatus debitoris sui debitores convenire*
possit *vel debeat*, hoc satis evincat, aliis quoque compluribus legi-
bus, in quibus eminet L. 4. C. quæres pignori obligari possunt,
vel non l. 7. C. de heredit. vel actione vendita l. 18. pr. ff. de pignorat.
act. diserte probatur. Illud saltem inter Interpretes valde con-
troversum est, qualis hæc actio sit? quod dubium eo majus sub-
nascitur, cum præsupponamus hic casum, quo actio principalis

A 2

à primo

à primo debitore creditoricefa , mandata , aut insolutum data non fuit.

III.

Triplex autem ferme est, sententia Doctorum, circa hunc juris articulum: Alii enim actioni utili personali, locum esse ajunt; alii utilem actionem hypothecariam statuunt; Alii denique actionem mere dativam suisque propriis regulis constantem, asserunt. De singulis seorsim videndum est.

IV.

Qui actionem personalem asserunt, hoc volunt, utilem esse hanc actionem ex negotio inter debitorem primum & secundum gesto nascentem, veluti si, Contractus Emptionis venditionis fuit celebratus, tum actionem empti, si Locatio Conductio, actionem locati conducti, si Mutuum conditionem certi ex mutuo utiliter competere. Et huic quidem opinioni, post veteres plerosque, subscribunt HUGO DONELLUS Tract. de pignoribus Cap. 8. & Commentario in Codic. ad l. 2. quando fiscus vel privatus &c. num. 7. It. ad l. 4. C. quæres pignor. oblig. poss. vel non. num. 1. ibi: Restat igitur, ut utilem hic actionem interpretetur actionem in personam, quam Creditor Debitoris, adversus debitorem suum haberet e.g. si quis mutuum dederit, conditionem certi habet ex causa mutui. &c. JOH. BRUNNEMANNUS Comment. ad l. 4. C. quæres pign. obl. poss. vel non. ibi: sed utilis tantum non directa hoc casu datur actio, hac l. 4. & l. 7. C. de hereditat. vendit. Sed quænam illa actio? an Hypothecaria, an vero personalis? Respondeo, personalem esse &c. REINHARDUS BACHOVIIUS Tract. de pignor. lib. 2. cap. 8. n. 2. ibi. sed verior opinio Glossæ per Doctores, qui in l. 18. ff. de pignorat. act frequentius putant, esse eam utilem actionem personalem, quæ etiam ei ex aequitate & Rescriptis Principum accommodatur, qui nomen venditum, donatum, legatum, aut insolutum accepit, &c. & paulo post num. 3. ut revera portentum sit & monstrum, quod contra scribit Antonius Faber de Erroribus pragmaticorum Dec. 5. cap. 10. nullam talem actionem (scilicet personalem) Creditori, cui nomen pignori datum est, compescere, sed solam superesse ei hypothecariam &c. JACOBUS CUFACIUS ad l. 7. C. de heredit. vendit. Alii complures.

V. Funda-



V.

Fundamenta hujus assertionis petuntur, tum ex legibus, tum ex ratione. Et leges quidem sunt illæ ipsæ, qvas allegavi supra num. 2. qvibus Bachovius d. l. jungit l. 2. C. quando *fiscus vel privatus &c.* eamque ita interpretatur, ut dicat, probare eam, qvod qui obtinuit in judicio, possit contra ejus, qui succubuit, debitores agere, & nimirum qvod subinde intelligendum, actione utili. Ratio, qvâ utuntur, hæc est, qvod videatur actio in creditorem quasi translata per constitutionem pignoris, non aliter, qvam fidatio in solutum præcessisset; censeri inqvam, debitorum hac ipsa datione in pignus, eventualiter quasi in causa non præstitæ solutionis nomen hujusmodi cessisse vid. Bachovius, & Donellus d. locis. tum & hanc actionem eo tendere, ut exigatur à debitore debtoris pecunia, id vero actionis personalis opus esse, neutiqvam hypothecariæ.

VI.

Sed qvod pace tantorum Virorum dictum sit, assertum hoc ipsorum, sive per leges, sive per rationes, modo memoratas, aut alias etiam vix sustineri potest, obstantibus nimirum & juris textibus manifestis, & ratione ejusdem, maxime concludente. Textus qui huc apprime faciunt, sunt potissimum in l. 3. de hereditate: act. & l. 2. C. de O & A. Ratio exinde perspicua est, qvod juxta l. 25. ff. de O & A. in personam actio sit, qvacum eo agimus, qui obligatus est nobis ad faciendum aliquid, vel dandum, qvæ ad versus eum solum locum habet; jung. §. 1. Inst. de Act. & §. fin. Inst. de oblig. l. 1. in pr. ff. de O. & A. §. 2. & 3. Inst. quis mod. toll. oblig. Locamerus Disp. de causis act. §. 83. Atqve ex alterius contractu nemo obligetur l. 18. C. de Pact l. 3. C. ne ux: pro marito. t. 1. C. nefil. pro Pat. nec alteri liceat stipulari, §. 18. Inst. l. 3. C. de inuti: stipulat. l. 38. §. 17. ff. de V. O. pactaque aliorum aliis non profint l. 23. ff. de Pact. ex qvibus omnibus necessario seqvitur, contra debitorem debtoris actionem personalem nullam dari. Hincqve vulgatum juris brocardicum, debitorem debtoris mei debitorem meum non esse, l. 13. & 15. C. sic cert. petat. l. 16. C. de solut. l. 8. C. de positi. atqve sic in terminis tradunt. SURDUS Conf. 4. n. 2. ROLAND. à VALLE Conf. 1. n. 5. JOH. à SANDE lib. 3. decis. tit. 12.

A 3

def.



VII.

Qvæ pro roboranda adversa sententia supra afferebantur, & leges, & rationes, parum eidem profunt. Leges enim generales, sub num. 2. nominatæ, probant quidem, dari aliquam actionem contra debitorem debitoris, sed qvalis eadem sit, non determinant l. 2. C. quando Fisc. vel privatus Bachovio laudata, de sola executione sententiæ agit, qvæ fieri potest etiam in nomina debitoris, sed perse nec realis est, nec personalis actio. Imo nec singenda actio qvædam judicati, qvæ non competit, nisi contra eum, contra qvem judicatum est.

VIII.

Idqve ipsi tandem Bachovius & Donellus probe advertentes, eo transeunt, dari qvidem actionem aliquam utiliæ personalem contra debitorem debitoris, sed non aliter tam nifi illius bona oppignorata fuerint, quasi nimirum tunc, qvod antea dictum, facta qvædam & jure præsumpta intercedat eventualis cessio, aut in solutum datio. Sed nec hoc admitto, cum reclamet textus clarus & in hanc rem elegans in l. 3. C. de heredit. act: ibi. heredem mariti quondam cui de dote tibi reddenda conveni: personalem enim actionem contra debitores hereditarios tibi decerni frustra postulas. Vides hic omnem qvæstionem in terminis decisam. Maritus dote à conjugi accepta, obligatur eidem ad restitutionem istius l. si cum dotem transgrediamur. 12. ff. solut. maritim. Hæc obligatio passim transit mortuo marito, in ejus heredem, proinde heres de dote restituenda mulieri tenetur, ut Creditrici, l. ult. C. de hereditar. act. Qvæsitum est, an mulier ulterius progressa, possit de dote convenire debitores hereditarios, aut debitores debitoris actione personali? & placuit, eam dandam non esse. Utiqve mulieri omnia bona mariti pro dote pignori sunt obligata l. unic. §. & ut plenius 2. C. de rei uxori. act. bonis autem generaliter obligatis, etiam nomina continentur, i. e. ea qvæ à debitорibus debitoris eidem debentur l. 49. ff. d. V. S. l. 4. C. que res pign. oblig. poss. proinde mulier pignoris jure etiam debitoris debitores convenire potest, si convenerit l. 4. C. Quæ res pign. oblig. poss.

oblig. poss. sed quod dictum, actionem personalem ea non habet; Pariter planum est, debitoris Fisci bona, fisco tacite esse obligata, *I. auferitur 46. §. fiscus 3. ff. de jur. fisci.* & tamen fiscum, debitoris sui debitores personali actione pulsare posse, nullibi est proditum. Nam supra jam innui, quod in *I. 2. 3. & 4. C. quando fisc. vel privat.* habetur, ad eos, qui debitoribus fisci obligati sunt, actionem fiscalem extendi posse, si patuerit, principales reos non esse idoneos, de nulla actione personali ex audiendum, sed omnino de executione in nomina facienda, de captione pignorum executionis causa, cui non est locus, nisi debitum quo debitoris debitor obstrictus est, sit liquidum, &, ut nostri ajunt, confessatum, observato in super ordine procedendi. in *I. 15. ff. de re judic. præscripto.*

IX.

Patet, credo, abunde ex his, quæ hactenus dicta sunt actionem, quammodò investigamus, personalem non esse; sed neque dativa est, eo sensu, quo *Anton. Faber in Cod. tit. quando fisc. vel privat. & lib. 8. conjectur: cap. 18.* talē dixit: Arbitratur autem ille actionem hanc ita instituendam ut principalis debitor cum debitore ipsius simul conveniatur. Sed neque quod genus actionis sit, memorat, neque ubi in libris iuris nostri fundatum reperio. Actiones dativas novas illas compellare solimus, quæ, cum, ordinario omnium actionum fundamento deficiente, secundum regulas artis existere haut possunt; ita, ut differant etiam ab illis, quæ cum haberent quidem regulare & ordinarium nascendi principium, nova tamen qualitate fuere auctæ, quales sunt: actio de eo, quod certo loco, iustitia, exercitoria, aliæq; hujusmodi. Actiones novæ dativæ afferi non debent, nisi expressa lex, quæ dantur, adsit, hocque cum exactius secum expendisset Faber, diversus à se ipso statim seq. definitio ne defendit Creditorem, nisi hypothecarium, contra debitoris debitorem nullam omnino habere actionem.

X.

Super est ergo dicamus, contra debitorem debitoris nullam aliam actionem nisi hypothecariam, posse competere, atque hanc opinionem tulentur *BARTOL. ad I. 3. C. de heredit. att.*
SAL. CET.



SALICET. ad l. 1. C. de præter. pignor. ACCURS. in l. 13. §. cum pi-
gnor. ff. de pignor. CLUFACIUS alibi divortium à se faciens, in Paulo ad
Edictum ad. l. 18. ff. de pignor. act. JOH. à SANDE & CARPZO-
VIAS locis supra allegatis. Et hanc qvoqve sententiam pro-
nuntiando secuti Domini Scabini Lipsienses Mens. Octob. 1650.
an Friedrich Rutschreutern / A. S. zu Meissen in causa Dominici
Schlittertauens Erben beklagten contra Georg Hersirthen Kläg.
Cum enim in hac ipsa lite actor contra debitorem, ex
chirographo (in quo tamen simul hypotheca conventionalis cor-
tinebatur) executive agere vellet, & decretum jam, reos, reco-
gnoscere illud debere impetrasset, Leuteratione ab his interposita
Actisqve, ad laudatissimum qvi hic est scabinatum, trans missis,
sententia hunc in modum fuit lata:

Nunmehr aus den Acten so viel zu befinden/ daß Beklagter das
producirte Document zu recognosciren nicht schuldig / es ist aber
Klägern actione hypothecaria dieselben ordentlicher Weise zu be-
langen unbenommen/ B.R.W. Imo amplius nullam hic subesse
differentiam inter privatum & fiscum (qvod & supra probatum)
responsum est Mens. Octobr. 1668. versus N. an Abraham Christia-
ni, verba Responsi hæc fuere. Ferner der debtor debitorem ande-
rer Gestalt nicht/als actione ordinaria belanget werden mag/und der
Fiscus diffals sich keines besondern Rechts zu gebrauchen hat. Par-
iter cum controversia moveretur, utrumne actioni executivæ per-
sonali esset locus, si Actor cavere vellet, indem nem fore reum, de-
bitorem debitorem, negativa placuit ad Consultationem C.P. zu L.
Mens. Septembri Anno 1668. verba sententiæ hæc fuerunt: Ob
nun wol ihr Kläfers klare Brief und Siegel in den Händen hat/dar-
innen er euch alle sein Vermögen zum Unterpfande verschrieben/wel-
che conventional hypothec auch diese ausgeklagte Schuld afficiret,
diweil aber dennoch iko gemeldte Obligation von dem Schuldener
biß dato nicht recognosciret / und ohne vorgehende des debitoris
cession, wider dessen debitorem von Creditore executive nicht
geflaget werden kan. n. m. i. d. Beylage und fr. So möget
ihr auch gegen Bestellung der offerirten Caution, zu Einhebung der
ausgeklagten Posten noch zur Zeit nicht zuglassen werden/ iht seyd
aber

aber die angezogenen debitores actione hypothecaria ordentlicher Weise zu belangen / und bey ihnen Zahlung zu suchen wol besugt ; massen euch auch / weil Gläser in fuga begriffen / einen Curatorem bonorum bestellen zu lassen / und so dann durch solchen wider denselben executive zu klagen / oder von ihm an besagte debitores euch anweisen zu lassen unbenommen. V.R.W.

XI.

Obsfirmata ergo thesi , actionem contra debitorem debitoris nullam competere posse aliam , nisi hypothecariam , ulterius de hac ipsa hypothecaria nunc agendum est . Definitur illa , qvod sit *ACITO REALIS PRÆTORIA , UTILIS , QVÆ DATUR CREDITORI HYPOTHECARIO . ADVERSUS EUM , QVI IPSIUS DEBITORIS DEBITOR EST , AUT REM EIDEM HYPOTHECATAM POSSIDET , AB HOC , UT DECLARETUR , NOMEN ILLUD , AUT PIGNUS , QVOD DEBITORIS EST , CREDITORI PIGNORIS JURE COMPETERE , ATQUE HINC DEBITOREM , QVOD DEBET , SOLVERE POSSESSOREM QVE REI OPPIGNORATÆ RESTITUERE EIDEM ILLAM DEBERE.*

XII.

Causa efficiens remota hujus actionis est Prætor . Ea nimirum haec ipsa actio illa , qvæ à Prætore in § . 3 . Inst . de Ad . introducta dicitur , & alias quasi Serviana appellatur , d . § . 3 . l . sic tibi . § . 2 . ff . de pactis licet enim verbis disertis in Edicto Prætorio non dicatur actionem hanc habere locum qvando nomina & jura op-pignorata sunt , factum tamen est interpretatione fori , Principum-que rescriptis ut etiam tunc illius usus esset l . 4 . C . quæ respigner . oblig . poss . l . 7 . C . de Action . vel hereditat . vend . Verum hac ratione non data nova est aliquva actio , sed qvæ jam existebat accommo-data saltem ad casum ubi aut nomen aut pignus pignori sup-positum erat . Vid . infr . n ,

XIII.

Causa efficiens proxima , seu fundamentum , est dominium aliquod juris , juris inquam , pignoratitii , non pignus ipsum , aut hypotheca , cum id sit objectum hujus actionis , qvod ea persequimur , atq ; sic fundamentum esse nequeat . Dominium autem

B

etiam



etiam in rebus incorporealibus, & quidem verum esse & exerceri, plane cum legibus convenit, l. 3. ff. si usus petat. l. 15. §. 8. ff. quod avi aut clam. l. 8. in pr. & l. 19. ff. de bon. autorit: judic. possid. Nov. 2. c. 4. & Nov. 22. c. 45.

XIV

Subjectum activum, & cuidatur hæc actio, est Creditor hypothecarius, d. §. 8. Inst. de Act. l. 2. C. de Prætor. pign. illiusque heredes, ita, ut singuli solidam actionem exercere possint l. 1. C. si unus ex pluribus hered. Pignoris enim causa individua, est, l. 16. ff. de evict. ita, ut pro quacunq; debiti parte totum sit obstrictum, l. 19. ff. de pign. & pro toto debito singulæ ipsius partes l. 2. C. si unus ex pluribus hered. MERLIN. Tr. de pign. lib. 5. quæst. 59. Datur etiam hæc actio emptori nominis, pro quo hypotheca constituta est, ita enim Imperatores in l. 7. C. de hereditate vel act. vend. postquam eo decursum est, ut cautiones quoque debitorum pignoridentur, ordinarium visum est, post nominis venditionem, utiles emptori, (sicut responsum est) vel ipsi creditori postulanti dandas esse. De quo textu, cum apprime faciat ad articulum, quem modo tracto, rectius intelligendum, explicatius dicere, operæ pretium est. Ajunt Imperatores: postquam eo decursum est, ut cautiones quoq; debitorum pignoridentur. Innuunt nimis his verbis, fuisse aliquando tempus, cum dubitaretur inter veteres, an nomen pignori dari possit? Sed tandem obtinuisse & placuisse, ut cautiones pignori dari possent, quæ loquendi ratio gemina omnino est illi, quâ utitur Imperator in l. 4. C. quæres pignodar. poss. ibi: nomen pign. posse, jam pri- dem placuit. cui jung. l. 13. §. 2. ff. de pignor. & hypoth. Verbum placuit, significat aliquid præter strictam juris rationem esse receptum quod ex æqvitate tueri debeamus, l. si convenerit. 18. in pr. ff. de pi- gnorat. act: Cautio, alias chirographum significat, sed hic ipsum nomen, quod super chirographum datum est, notat, eodem sensu vox hæc accipitur in l. qui chirograph. 59. de Legat. 3. Pergit textus: ordinarium visum est, i.e. consequens est, sic vocat Ulpianus ordinarium in l. 1. in pr. ff. si tabb. testam. non extab. l. 1. ff. de poss. heredit. petit. junct. l. 1. in pr. ff. si pars heredit. petat. Significa- tio ex eo est, quodquæ sunt consequentia, ea recto ordine se- quantur ex aliis, alias ordinarium jus dicitur, quicquid more & jure

jure usitato receptum est, l. ordinarii. 13. C. de R. V. l. servum quoq; 33. §. publice, 2. ff. de Procurat. Dicitur alterius: post nominis venditionem utiles emptori, sicut responsum est, vel ipsi Creditori postulanti dandas actiones. Vox, vel posita est proveluti, ut sensus sit, emptori nominis dari actionem utilem, ad exemplum ejus, quæ ipsi principali Creditori competebat.

XV.

Et exaudiendam quidem esse hanc legem, non de actione personali sed reali hypothecaria, patet ex eo, quod Imperatores rationem decidendi petunt ex licentia dandi in pignus chirographum, ita inquam, inferunt: postquam res expedita est, nomina pignori dari, ipsumque hoc jus pignoris vendi posse, jung. l. fin. C. eod. LENTZ. Tr. de cess. c. 15. per tot. Conseqvens est, emptori quoque competere ex hac emptione actionem hypothecariam utilem. Dantur enim nominis sive actionis emptori, statim post emptionem perfectam, etiam ante cessionem, post rescriptum Divi Pii, sola juris potestate, actiones utiles, l. 5. l. 8. l. ult. C. eod. l. 1. §. 13. junct. l. 21. ibi: sed nominis pretium ff. de Titel. § ration. distract. l. 2. C. de O. & A. vid. l. 16. ff. de pact. l. 18. C. de Leg. l. 1. C. de Magist. conven. SCHIFORDEGK. lib. 3. tr. 23. quest. 2. BACHOV. de act. Disp. 4. th. 3. p. 123. in fin. SAND. de action. cessione cap. 8. num. 32.

XVI.

Illud controversum est, an empto nomine simpliciter, transeat sine peculiari cessione jus hypothecæ? quod negare malim per l. 6. & 23. ff. de heredit. vel act. vendi. l. 11. l. 14. C. de fidejuss. l. 73. in pr. ad seuum Trebell. SHEFFER. lib. 1. qu. 37. n. 6. & 7. ANT. FABER in C. lib. 4. Tit. 29. def. 11. n. 1. vid. FRANZK. lib. 1. Resol. 14. n. 3. Sand. d. Tr. cap. 8. n. 31. & seqq. LENTZ. cap. 14 membr. 2. n. 7. & seqq.

XVII.

Subiectum passivum, & contra quem actio haec competit, est debitor debitoris, itemque possessor rei, quæ debitori oppignorata est, lib. 16. §. 6. ff. de pign. sive ipse oppignoraverit, sive tertius sit possessor, sive heres oppignorantis, unusque ex multis rem

B 2 hypothe-



hypothecatam solus possideat. l. 2. C. de hereditar. act. l. 2. C. si unus e
expluribus. MERLINUS de pign. lib. 5. quest. 69. n. 18. & seqq. l. 12. C. d
distract. pign. l. 14. l. 24. C. qui potior. in pign. nec inter est, qvoad
jus agendi ipsum, res illa an expresse sit, an tacite hypothecata
l. 12. l. 13. C. cod.

XVIII.

Objectum seu id, qvod petitur, est principaliter jus pigno-
ratium, & cum hoc, nec salvum sit, nec proficuum, nisi & rem
ipsam habeas, in consequentiam qvoque res hypothecata. Sup-
ponuntur autem hypothecæ tam per conventionem, qvam pote-
state legis, res non corporales tantum sed & incorporales, qvor-
sum pertinent jura & actiones, d.l. 4. C. quæ respign. oblig. poss. l. 49.
ff. de V. S. etiamsi generali bonorum appellationi addicta sint vo-
cabula, mobilia & immobilia fortè eum in modum: Titio, Credi-
tori meo, omnia mea bona, mobilia & immobilia pignori obligata
sunt. Hoc enim casu verba ista, non restinguunt, sed potius enixa
voluntatis declarandæ gratia, addita consentur. FRANZK. in Com-
ment. fforum. tit. de pign. n. 17. BACHOV. ad Trenit. vol. 2. Disp. 1. th.
v. lit. D.

XIX.

Forma libellandi, pro ratione circumstantiarum, quo-
dammodo variat, ita, ut alia sit, si perseqvaris hypothecam, in
nudo nomine pecuniario constitutam, alia, si eam, qvâ jus qvod-
dam, aut res etiam corporalis, sive mobilis, sive immobilis affi-
citur. Priori casu libellus possit esse talis. P.P. Saget Kläger
fürsich/ welcher gestalt ihn Sempronius mit 1000. Thalern/ so er
demselben anlehns Weise vorgestreckt/ verhaftet/ auch hievor sein
ganzes Vermögen zu einem aufdrücklichen Unterpfande eingesezt/
nachdem er nun bis anhero keine Zahlung erlangen können/ und aber
hingegen besagtem Sempronio Titius, wegen aberkauftter Wah-
ren 500. Thaler schuldig/ welche denn ihm/ Klägern/ Kraft der
angezogenen General-hypothec ebenmässig unterpfändlich haftten/
als fodert er von bef. Titio richtige Antwort/ und wenn solche er-
folget/ bittet er in Rechten zu erkennen und auszusprechen/ daß diese
500. Thaler ihm jure hypothecæ zuständig/ derowegen Befl. selbige
an ihn auszuzahlen pflichtig.

XX.



XX.

Qvod si res hypothecata debitori meo sit, isq; universum patrimonium suum, & sic simul hypothecam istam pignori derit, libellum hunc in modum formare mihi licebit.

P.P. Saget Kläger fürslich/ wie daß sein gewesener Vormund Mævius wegen solcher geführten Vormundschaft / ihme mit 800. Thalern verhaftet blieben/ wenn dann Klägern hievor dessen ganzes Vermögen / nach Anleitung der Rechte stillschweigend verpfändet/ und aber er/ Mævius, auf dem Gute Tusculano, welches Beklagter anzo besitzet/ 1000. Thaler/ so aus einem Darlehn herrühren/ unterpfändlich versichert stehen hat/ so ist Kläger zu Anstellung dieser Klage bewogen worden/ fordert diesem nach von betl. deutl. Antwort/ und wenn solche erfolget/ bittet er zu erkennen/ daß ange regtes Mævio zustehende Pfand-Recht dem Gute Tusculano, ihme/ Klägern und zugleich mit/ mehr berührtes Gut selbsten unterpfändlich haffte/ Beklagter auch dieses/ ihne Klägern/ bis er seiner 500. Thaler halber befriediget/ abzutreten und einräumen schuldig.

XXI.

Probandum est in hac actione tum ipsum debitum hypothecarium, tum reum debitorem esse debitoris, aut rem saltem debitori hypothecatam possidere. Qvod si debitum, aut sub certa conditione, aut præstatione certa, debitori debeatur, ab Actore etiam impletam esse conditionem, aut præstandum fuisse præstatum, probari debet, *Ant. Faber in Cod. lib. 4. tit. 10. def. 1.* Neq; enim fieri potest, ut ex Contractu inter me & debitorem meum initio plus juris adversus ipsius debitorem habeam, qvam debitor meus habiturus erat ipse, qui ante omnia implementum contratus secum celebrati, docere cogitur, *l. Julianus. 13. §. offeri, ff. de act. empt. l. sapient. 8. insin. C. cod. l. cum fundus 31. in fin. vers. sed adjicere. C. de reb. credit.*

XXII.

Ratione qualitatum est hæc actio utilis non, qvod supra jam late probatum dedi, personalis, sed realis hypothecaria. Utile

B 3

lis hic

lis h̄ic actio opponitur directa. Sunt autem actiones directæ (etiam vulgares, ordinariæ, & legitimæ dictæ l. 22. §. ult. ff. de aq. pluv. arc. l. 1. §. pen. & ult. ff. de superficie l. cum quidam filium in fin. ff. de hered. inst. l. si servus 42. ff. defurt. jung. FRANCISC. POLL ET. l. 3. Histor. fori Roman. cap. 2.) qvæ ex ipsius legis verbis, seu directo aperto & constituto jure competitunt. Utiles vero, qvæ deficien- tibus legis verbis, ad exemplum similitudinemque directarum, ex bona concludente ratione utilitatis causa comparatæ sunt. Ob- servandum autem ex dupli ci fere causa præsentem hanc nostram, utilem dici, partim (prout jam semel iterumque ostendi) qvod pignus nominis, aut alterius juris pignoratitii non stricta ratione, sed ex æquitate & propter utilitatem contrahentium admissum, partim qvod à natura, actionis hypothecariæ, hactenus secessus fiat, qvod cum illa alias detur contra possessorem rei pignoratæ, hæc contra non possessorem exerceatur. Sane enim debitor debitoris nomen, qvo obstrictus est, non possidet ipse, sed potius possessio penes ejus creditorem esse putatur, l. 86. in pr. ff. de Legat. 2. l. 12. §. 45. de instr. & instrum. legat. l. l. 50. §. 1. ff. de judic. l. 92. in pr. ff. de legat. 3. CARPZ. p. 3. Dec. 258. n. 9. & p. 3. Conſt. 12. def. 14. n. 5. CO- LER. de Process. Executiv. p. 1. c. 3. n. 239. ALEXAND. Vol. 1. Conſ. 31. n. 7. & vol. 4. conſ. 3. n. 6. it. vol. 6. conſ. 19. n. 9. RAUCHB. p. 1. qu. 17. n. 2. BRUNN. dec. 91. n. 4. 5. BERL. p. 3. concl. 52. n. 80. WISSEN B. Disp. 16. ad fforum d. V. S. th. 8. Ita quidem, ut si arrestum, in eo impetrare ve- lit tertius, hoc saltem possit in loco, ubi domicilium habet Credi- tor. per LL. & DD. allegat. Ex qvo tamen haut inferendum est, debitorem debitoris alibi, quam in foro ipsius competen- te conveniri posse, nec ratio juris patitur ut, cum debitor primus actione pulsatur, secundus simul citetur. vid. ANT. FAB. in C. lib. 4. tit. 10. def. 1. n. 4.

XXIII.

Ulterius ratione qualitatum hæc actio est Arbitraria, l. 16. §. 4. ff. de pign. §. 31. Inst. de act. MENOCH. de arbitr. judic. quæſt. lib. 1. qu. 3. 4. & 5. MERCERIUS ad L. 13. ff. de pign. n. 57. Perpetua, l. 7. in pr. C. de præscr. 30. ann. FRANC. HOTTON. ad tit. de pign. & hypoth. n. 26. BACH. de act. disp. 3. th. 37. TREITL. vol. 2. disp. 1. th. 7. lit. H. Denique ex supra

supra traditis liqvet, actionem hanc esse ordinariam, & sic in ea, quando in judicium datur, ordinarie esse procedendum. Plane in foro Electorali Saxonico per Sanctionem, quae est in Resolutionibus Gravaminum, de A. 1661. Tit. von Justitien Sachen. §. Hette aber zum achten ein Kläger ic. Sicut omnis hypothecaria, ita & haec, summariter tractari potest, dummodo omnia contenta libelli per documenta illicè doceri possint, estque tum integrum actori statim petere recognitionem istorum documentorum, ita tamen, ut nihilominus reo, recognitione factâ, summaria reprobatio deneganda haut sit.

XXIV.

Finis & Effectus hujus actionis est, vel primus vel ex primo ortus. Primus est, ut declaretur, nomen aut j. s pignoris, hypothecæ jure, ad Creditorem pertinere, jubeaturque simul debitor solvere & præstare id, quod suo immediato Creditori solvendum & præstandum erat, itemque ut immittatur Creditor Creditoris in hypothecam secundo Creditori constitutam l. grege. 13. §. 2. in fin. ff. de pignoribus l. 18. in pr. ff. de pignorat. act.

XXV.

Effectus ex eo, quem modo, memoravi, certus exserit se, tum in persona debitoris secundi, tum in persona Creditoris primi; Et ille quidem, si solvit, aut præstat Creditori primo, ad quod tenebatur, à nexu obligationis, quo obstrictus erat Creditori secundo, plane liberatur, datâ adversus debitorem immediatum aut secundū exceptione dolii: Sicut è diverso, si pulsatus jam actione, solverit Creditori secundo, quantumvis Præceptū de non solvendo judicis nullum accesserit, neutiquam debitum extinguit, sed nihilominus Creditori primo solvere, aut præstare præstandum tenetur. l. 18. pr. ff. de pignorat. act. Effectus ortus circa personam creditoris primi, ille est, ut non tantum quod ipsi solutum, pignorisit & usque donec à debitore suo ei satisfactum, jus retinendi habeat, l. 6. §. 9. ff. commun. dividund. l. 10. C. de pignor. act. & quidem, ex aqvitate, etiam propter aliud debitum, pro quo res illa non fuit obligata, l. un. C. etiam ob chirographar. pecun. vid.: BACI. O. V. Tr. de pign. lib.

3. cap.



3. cap. 42. n. 2. & seqq. Sed etiam si nomen pecuniarium fuerit, ex-
Etiam pecuniam in creditum suum compensare d. l. 18. in pr. ff. de pi-
gnorat. alt. ubi JACOB. CU JAC. in Lib. 30. Pauli ad Edictum. Ut
cætera omnia, eruditæ & eleganter hæc ulterius explicat.

XXVI.

Affinia huic actioni, sunt Remedia cætera Creditori, contra
debitorem debitoris competentia, qualia sunt Præceptum de non
solvendo, Executio in nomina debitoris, Arrestum, denique Impe-
tratio curatoris ad hoc constituendi, ut nomina debitoris exigat,
& post exinde creditoribus suis satisfaciat. Sed de his, nisi Deus
ne vult, alio tempore acturus sum.

XXVII.

Contraria huic actioni sunt, qvæ eandem, aut perimunt inte-
grè aut suspendunt: Eminent in his exceptio Præscriptionis & Ex-
cussionis. Præscribitur autem huic actioni, sicut aliquicunque
hypothecariæ; Scilicet, si debitor, aut ejus heres rem obligatam
possidet, non nisi 40. annis, l. 7. f. 2. C. de 30. vel 40. ann. præscript.
& ibi BRUNNEM. MERLINUS de pign. lib. 5. qu. 21. n. 1. 13. & 25. Sin
tertius videndum, an ex justo titulo & bona fide possideat, & tum
inter præsentes 10, inter absentes vero, 20. annis, l. 1. & 2. C. Si ad-
vers. Credit. l. fin. C. de O. & A. an vero mala fide, & tum 30. annis,
l. 7. in pr. C. de 30. vel 40. ann. præscr. ubi BRUNNEM. MERLINUS
d. l. n. 10. COLL. ARGENT. tit. de pign. th. 18. n. 3. TULDEN. in Cod.
si adversus Creditorem. Nihilque hic interest, res mobilis sit, an
immobilis, arg. l. 1. C. si advers. Credit. l. ult. C. de O. & A. BACHOV.
Tr. de pign. cap. 3. num. 6. Curritque hoc tempus non demum ab
excusione debitoris facta, sed statim à tempore possessionis ac-
quisitæ, etiam post Nov. 14. arg. l. 32. C. de appellat. MERLIN. lib. 5.
q. 22. n. 9. & seqq.

XXIX.


De beneficio Excussionis, & qvatenus huic actioni obstat,
cum qværitur, distinguendum est, an nomen sit oppignoratum,

21

an pignus in bonis alterius constitutum, pignori datum sit; Prior i
casu nulla omnino opus est excusione, sed eadem plane omissa,
debitor debitoris conveniri potest, MERLIN. Tr. de pign. lib. 5. q. 69.
FRANTZK. lib. 1. res. 12. n. 71. BACHOV. Tr. de pign. lib. 3. cap. 17. n. 5.
SALICETUS & BARTOLUS ad l. 4. C. quæres pign. oblig. poss. It.
ad l. 18. in pr. ff. de pignor. Et l. 13. f. 2. ff. de pign. SURD. Vol. 1. Conf.
4. n. 32. GVID. PAPÆ Dec. 432. n. 13. CARPZ. Dec. 258. n. 6. Po-
steriori casu excusione necessitatem actor non evitabit. Hodie
enim post Nov. 4. c. 1. & 2. auth. hos. si debitor C. de pign. auth. sed hodie.
C. de O. & A. Principali debitore vel fidejussore illorumque he-
redibus, nondum excusis, extraneus sive tertius possessor conve-
niri nequit. FRANTZK. d. Resol. 12. n. 1. & seqq. CARPZ. p. 2. C. 18.
def. 17. & quidem si verum fateri volamus, nihil interest, res expres-
sæ, sive tacite, BACHOV. Tr. de pign. lib. 3. cap. 17. n. 6. FRANTZK.
lib. 1. Res. 12. in specie, sive in genere, sit obligata. FRANTZK. d. loc.
RICHT. ad auth. sed hodie C. d. O. & A. n. 5. Quemadmodum ita-
que Creditor immediatus, sive secundus, debitore suo nondum
excuso, haut quaque tertium possessor convenire potest; ita
nec primo illud integrum erit. Sane excipiendi hic sunt casus,
quibus beneficium excusonis ipso jure cessat, etijsmodi sunt (1)
si debitor principalis & fidejussor naturaliter saltem sint obligati.
FRANTZK. d. resol. 12. n. 30. BACHOV. d. c. 17. n. 8. CARPZ. p. 2. C. 18.
d. 8. num. 4. & seqq. (2.) Si debitores notorie non sint solvendo
CARPZ. d. Conf. 18. def. 15. RICHT. ad auth. sed hodie. C. de O. & A.
(3) Si debitores propter absentiam, vel aliam causam difficultis sint
conventionis. Nov. 4. c. 1. arg. l. 2. ff. qui satis dar. cogant. l. 12. in fin. de
V.O. FRANTZK. d. l. n. 63. RICHTER. d. l. n. 14. & seqq. CARPZ.
d. Conf. 18. def. 3. n. 7. It. def. n. & lib. 2. Resp. 71. n. 7. & 8. (4.) Si
tertius possessor sciens rem obligatam comparavit. Illa hic quæ-
stio excutienda restat, an si cui debitoris sui nomen activum, non
pignori quidem datum sit, sed is tamen in eo arrestum impetra-
verit, an debitorem debitoris sine prævia excusione ex arresto
hoc convenire queat. Affirmativam juris rationi magis esse
convenientem censeo, adeoque defendere illam
non dubito.

T A N T U M.






ULB Halle
006 301 088


3



VDN7



Farbkarte #13



C. B. D.

EXERCITATIO. ACADEMICA.

DE.

ACTIONE.

QVÆ. CREDITORI. AD-
VERSUS. DEBITOREM.
DEBITORIS. COMPETIT.

QVAM.

PERMISSU. SUPERIORUM.

Sub. PRÆSIDIO.

DN. JACOBI. BORNII. JC_{TI}.
FACULT. JURID. ORDINARII.

SOLENNITER. DEFENDET.

AD. D. XIX. JAN. A. O. R. M. DC. LXXXII.

CHRISTOPHORUS. HENRICUS. Bogler.
DRESD. AUTOR.

LIPSIAE,

LITERIS. CHRISTIANI. SCHOLVINI.

XVIII.
1682. 4
9